



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De bufone, qui repertus est super altare Iudaeorum, cùm celebrarent  
scenopegiam, cap. 69.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

turo, vbi vermis non morietur, & ignis non extinguetur, vanis, gulosis, necnō & luxuriosis, atque immundis, pœna præparata. De vanis, vt sunt venatores, iam dictum est. De luxuriosis exemplū habes in vita sancti Malachia, vbi homo luxuriosus per bufonem fugatus est à femina religiosa. De gulosis memini me dixisse in distinctione quarta cap. 76, vbi intestina gallinæ versa sunt in bufonem. Referam tibi de hoc etiā recens exemplum.

## CAPVT LXVIII.

**I**N Berge, villa diœcesis Colonienſis, sacerdos quidam celebrat, homo satis mirabilis, & gula torus deditus: nolo eum nominare, spero quod adhuc vitam suam debeat emendare. Huic consuetudo est tempore æstiuo, propter incitamenta gula, tantum in phialis bibere, id est in cyphis vitreis. Die quadā, phialam suam vino repletam tollens, cū nescio cui ad potandum illam porrigeret, bufo magnus fundo infedit, de qua visione valde territi, mirabantur, quomodo corpus tam grande intrare potuisset, cū eidem vasi, quod inferius diffundebatur, esset collum longum & exile nimis. Cumque sacerdos non posset vermem eijcere, neque vas vellet frangere, in locum vnde illum tulerat reposuit, & post horam reuersus, nihil in eo reperit. Nimirum, liquor ille miraculosè conuersus fuerat in vermem horridū, vt eius exemplo sacerdos abhorreret ebrietatem.

## CAPVT LXIX.

**N**ON est diu, quod per huiusmodi vermem Deus Iudæos, qui corpore & cultu omnino immundi sunt, miraculosè satis confudit. In villa proxima, quæ Wintere nominatur, tempore quodam Iudæi illic commorantes, in domo cuiusdam militis, quam conduxerant, quasdam solemnitates celebrabant: cumque altare pannis multis ac mundis operuissent, tempore sacrificij vespertini simul intrantes, sacerdos ad altare accedens postquam pannos reuoluit, sub eis circa medium altaris maximum bufonem inuenit, qui cū ex nimio horrore clamasset, ac-

cur-

currere Iudæi, accurrerunt & Christiâhi, nec potuit latere visio tam monstruosa; plures enim milites & eorum vxores ad spectaculum confluxerant, qui in risum resoluti, Iudæorum confusionem augmentauerunt: per quos etiam recitatum est tunc temporis domino Gerardo Abbati nostro, à quo ego audiui. APOLLONIUS: Satis delector in huiusmodi miraculis, quæ sunt destructiua erroris atque vitiorum, & quædam incentiua fidei atque virtutum. CÆSARIUS: No- ueris etiam vermes venenatos aliquas habere virtu- tes naturales.

## CAPVT LXX.

**R**etulit nobis Henricus de Foresto, miles hone- *De Serp*  
stus & verax, rem de serpente saris mirabilem: *pentibus*  
Satelles, inquit, quidam iuxta nos anno præ-  
terito vulneratus in latere, & malè sanatus, e-  
rumpente sanie torquebatur. Die quadam, cum nu-  
dato latere super truncum succisæ arboris se reclina-  
set, vt sanies efflueret, obdormiuit. Interim serpens  
aduenit, & vulnus suxit; expergefactus ille, serpentem  
excussit. Et licet territus fuisset propter venenû, ma-  
gnum tamen mox sensit remedium. Suasum est ei, vt  
denuo in eodem loco, prædicto modo, colubro copiâ  
fugendi daret, forrè sanitatè omnino reciperet: quod  
ita factum est. Sanissimus verò effectus, in tantum à  
serpente cœpit diligi, vt in aliquo loco dormire non  
posset, quin ad eius lectum veniret: cuius consortium  
homo abhorrens, prouinciam mutat; interimque per  
annum ferè dimidium illum non vidit. Reuersum de-  
nuo serpens sequitur, & cum non posset intrare vbi il-  
le cubabat, manè ante ostium repertus est. Suasum est  
ei vt monstrum occideret, respondente illo: Curato-  
rem meum non occidam. Tandem importunitate ser-  
pentis exasperatus, occidit illum, sicque ab eo libera-  
tus est. APOLLONIUS: Melior erat serpens iste, illo ser-  
pente, de quo dictum est in distinctione sexta capitu-  
lo 22. CÆSARIUS: Ille peccatum maximum puniuit,  
ad hoc enim creatus fuerat. Quantum serpentes ho-  
minibus parcant, duobus tibi pandam miraculis.